

ultima recesseris, celeb. et summ. ven. WALCHIVS, quem, pro summis suis in rem litterariam et sacram meritis, non potest non amare, colere, et revereri, qui rei litterariae et sacrae bene cupit, in dissertatione sua, supra excitata, tanta eruditione et soliditate confutavit, vt actum agere videri iure possem, si labori huic manus meas denuo admouerem, eique diu inhaerem. Strictim itaque tantum quaedam attingere constitui.

§. III. Quibus armis et qua ratione ab aduersariorum insultibus tueri se atque defendere possint, qui allegoricae illi interpretationi fauent, ego equidem non video. Ipsa haec interpretatio, vt fundamento omni, ita et omni veritatis specie, destituitur. Quod vt sole clarius appareat, allegoriam allegoriae opponamus. Mulieris vox, qua Paulus vtitur, vestem designat. Clericus itaque vnā tantum habeat vestem, qua detrita, nudus incedat corpore. Mulieris vox domum notat. Clericus itaque vnā tantum habeat domum: qua collapsa, sub dio vitam suam degat, omni coeli inclementiae expositus. Rissum teneatis amici allegoricae explicationis! Eodem enim, quo me petitis, vos ego iugulabo gladio. Nec est, quod opponere mihi possitis, quod non eodem iure, eodemque effectū in vos retorquere possim. Recte hanc interpretationem HIERONYMVS *coactam, inconsideratius affirmatam* THEOPHYLACTVS, * *ridiculam* ERASMVS ** dixit. De tali vxore loquitur Paulus, ex qua liberi, pie quidem, i. e. in honorem DEI, in reipublicae et ecclesiae salutem, et in suam, parentum ipsorum, praesidium et decus educandi, suscipi possint. Conf. v. 4.

§. IV. Ad sententiam illam, quae graecae ecclesiae doctoribus maxime arrisit, subuertendam nec multis nec validis opus esse, arbitror, arietibus. Vnum monuisse satis sit. Scilicet, de secundis nuptiis admodum finistre quamuis senserint haeretici complures, inprimis vero Montanistae *** et Novatiani

* Teste WALTHERO l. c.

** Vid. Critic. Angl. Tom. V. p. 891.

*** Vid. AVGVSTINVS de haeresib. cap. XXXVIII.